

G. H. 150, 21.

OPTIMIS JUVENIBUS  
JOHANNI FRIEDERIC  
GREGORIO

CAMENTIO LUSATO

Et

WERNERO SIEGFRIE-  
DO MANITIO

BVRCHARDISILVA MISNICO

MENSE MARTIO

clō lōcc xx. AER. VVLG.

E

SCHOLASTICIS GYMNASII ZITTAVIEN-  
SIS TENEBRIS

IN

LVCEM ACADEMICAM

SE CONFERENTIBUS

DISSERENS

DE ERVDITIS ET SIGILLATIM ZITTANORVM  
RELIGIOSIS TENEBRIS

BONA VERBA DICIT

M. CHRISTIANVS GOTTLOB PITSHMANNVS.

GYMN. ZITT. SVBRECT.

ZITTÆ, CHARACTERE MICHAELIS HARTMANNI.



Ye  
5263

X 2256195

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*

**I**  
fec  
de  
tul  
te  
qu  
D.  
en  
m  
di  
pr  
fo  
cu  
ne  
G  
ue  
de  
fi  
m  
au  
te  
fi  
u  
iu  
se  
v  
e



## AMICI

**H**Ebdomas agebatur apud Christianos magnæ nomine veniens, cum post absolutas tenebras easque hic loci sacras me conueniretis, significantes, vos non Icariâ quadam fiducia fretos, sed superiorum consilio firmatos mense Martio in Academiam Wittebergensem Q. D. B. V. esse abituros. Gratulabar vobis vel eo largius, quia noueram, vos non ante diem superiora inquisituros in arcana, sed iis artibus, quæ ad humanitatem pertinent, a nostro Dn. Directore D. Wenzelio, Conrectore M. Miro & me ipso conuenienter fuisse instructos. Accedebat studium, quo vobis, meis cum in publicis tum in priuatis prælectionibus auditoribus nulli facile secundis nunquam defui, ex eo imprimis tempore, quo coniugis meæ frater te, Gregori, fidelem habuit informatorem, atque te, Maniti, domesticum habui modestum. Itaque quamuis sit, uti est, bene hic collocatæ operæ Vestræ locupletissimus testis Gymnasii Director, & ego illud mihi non sumam, ut iuuenum auribus adulæ: desiderio tamen vestro locum dedi & vota, quæ auditores, priuatissima, ut vocant, institutione mea hætenus vobiscum vsi pro salute vestra nuncupant, publice exponere non recusavi; patiamini autem AMICI, ut, quæ e desiderio vestro post absolutas tenebras ad me delato materia de tenebris eruditæ & sigillatim Zittanorum religiosæ loquendi fuit enata, breuibus explicetur, ne quis miretur, me in ipso limine huius epistolæ sacrarum tenebrarum fecisse mentionem, sed cognoscat, me Zittaiensis Gymnasii Cives monere voluisse, ut tenebrarum in schola erudite, in templo sancte heic loci cultarum olim recordentur. Tenebræ

A 2

qui

quidem non omni bene audiunt. Noctis tenebræ, aut  
 si sol deficiens nitorem sideris sui condit & lumen omne  
 atro fœdat colore, non raro horrorem mortalibus incu-  
 tiunt atque occasionem impune quasi peccandi offerunt.  
 Ita Tiberio imperante Thraces Poppæum Sabinum Ro-  
 manorum de genere natum superaturi tenebras delige-  
 bant ad augendam formidinem teste TACITO, & quod  
 Ann. 4. 48. ex eiusdem Historia habemus, Galbæ Cæsaris corpus diu  
 I. 49. neglectum licentia tenebrarum plurimis vexabatur lu-  
 dibriis, donec dispensator Argius, e prioribus seruis, hu-  
 mili sepultum in priuatis hortis illud contegeret. Præ-  
 sens quoque terror offerebatur supplicatioque in tridu-  
 um pro collegio Decemuirorum imperabatur Romæ,  
 XXXVIII. rem omnem vt commemorat LIVIUS, dum M. Valerio  
 ed. Ven. 12. Messala & C. Liuio Salinatore Consulibus luce inter ho-  
 p. 598. ram tertiam ferme & quartam tenebræ fuerant subito  
 obortæ. Et in tenebris quantum isto iamiam temporis  
 in Octauio. tractu, quo MINUCIUS viuebat, pagani peccauerint,  
 ipse multis exponit. Epicuri enim de grege porci no-  
 ctu conueniebant, conuiuia multo mero de die in quar-  
 tas vsque noctis vigiliis & vltra ducturi, libidinoso tunc  
 ore meretricibus inhærentes propudiosis, venerem pro-  
 miscue spargentes ac certatim instar hominum Plauti-  
 næ profapiæ aniles fabulas adstruentes, quo fœcundius  
 nequiora prouenirent remotis lucis arbitris. O filios  
 IV. II. tenebrarum æternarum! Verum vti Alexandro M. pol-  
 lex minime premitur, apud CVRTIVM Dario respon-  
 denti, nec mundum a duobus solibus regi, nec duo sum-  
 ma regna saluo statu terrarum posse habere, aut Ludo-  
 uico XIV. Franciæ regi, solis symbolo non aliam ob  
 causam vso, fauemus, præprimis cum non liliorum sed  
 acqui-

aquilarum sit, vt **NEC SOLI CEDANT**, licet cum Ci-  
 cerone, magnum illud inter sidera lumen, solem dici  
 concedamus, quia orbem illustrat solum: ita etiam non  
 omnis nox nocet, quamuis a nocendo nomen fuerit ad-  
 epta, aut tenebræ eandem ob rationem semper pallido  
 homines tenent timore. Iusto Iosepho Scaligero Cæ-  
 sarique Tiberio ea fuit oculorum acies, vt in ipsis tene-  
 bris viderent, ac quibus e meliori luto finxit præcordia  
 Titan, illi tenebris quidem vtuntur sed ita, vt tam quiete  
 fruantur, quam earum magnam partem, imprimis in iis  
 regionibus, quæ a circulis tropicis ad polum spectant  
 vtrumque, dent lucubrationibus. Aut omnis erro, aut  
 hac de causa pagani noctuam Mineruæ auem adpella-  
 runt, quoniam inter amica silentia tenebrarum, filenti-  
 bus linguis loquacibus, cedentibus manuum durissima-  
 rum operibus, absentibus circumuagantium horridis  
 strepitibus, mens minus reuocatur a pietate, litteris & re-  
 liquis rebus probandis. Equidem non sum ea ingenii  
 fertilitate, vt audacter fingere, conicere, diuinare vale-  
 am, quæ vel Philosophica vel Theologica Systemata A-  
 damus eiusque posteris multis postea annis litteris man-  
 dauerint, quæ methodus placuerit, quæ auditoria fue-  
 rint electa, qui honorum gradus distributi? mitto cete-  
 ras fabulas, non mediocriter nonnullos delectantes: Ju-  
 dæorum tamen magistros multis retro Sæculis non ab-  
 horruisse a tenebris eruditis, siue, quibus easdem intelli-  
 gi volo, lucubrationibus, **WOLFFIUS** abunde edocet. inBibliothe-  
ca Hebræa.  
 Noctuas absque dubio Athenas ferre viderer, si idem  
 plurimis Græcorum testimoniis & exemplis illustrare  
 vellem, cum **FABRICIUS** Hamburgensis ostendat, Græ- inBibliothe-  
ca Græca.  
 cos in hac re alius linguæ homines fortassis multis post  
 se reliquisse parasangis. Et quid non fecere Romani?

in Diff. de Nolo CELLARII vitulo uti, cum laudati FARICII ope-  
vigil. & Lu- ra per quam plurimos habeamus eruditos, Romano  
cubr. Veter. de sanguine natos, qui tenebris erudite vti non dubi-  
inBibliothe- tarunt, ob has vigilias immortalem consecuti famam.  
ca Latina. Quodsi adhæc MORHOFII dissertatio de meritis Ger-  
manorum in rem litterariam ante mortem autoris vel  
ad vmbilicum fuisset pēducta, non deficerent nos Teu-  
tones, quo malæ linguæ exteros conuincere possemus,  
Tuitconis posteros, vt Marte plerumque aliis gentibus  
fuerunt superiores; ita etiam arte nulli nationi cēssisse.  
Interim si promissis stabit suis LYSERVS Helmstadien-  
sis, huius Viri cura efficiet, ut vel soli Germanici me-  
dia ista ætate, quam ferream & barbaram vocant, pro-  
batae Latinitatis omniumque humaniorum atque elc-  
gantiorum litterarum cultores & scriptores in publicum  
emissi conuincant, istis temporibus eodem iure inuri  
barbariei notam, quo Bonifacius VIII Sæculo diris exe-  
crationibus deuouit eruditos, terræ esse figuram sphæri-  
cam dicentes, hoc est, ut sine peplo loquar, nullo. Et quid  
opus est, quod in sæcula, quæ abierunt, abeamus, cum  
vel nostra tempora Augustinos, Ambrosios, Chrysosto-  
mos, Bernhardos inter Theologos, Jurisperitos inter  
Papianos, Vlpianos, Cujacios, inter Medicos, majores  
Galeno, Paracelso, Helmontio, inter Philosophos atque  
Philologos acutiores Aristotele, probatiores Platone,  
morastiores Diogene, clariores Priscano, feliciores Or-  
bilio ostendant. Quemadmodum vero Joui Ammoni  
fedes consecrata inter vastas solitudines sita vndique  
ambientibus ramis, vix in densam vmbra[m] candente  
sole, contacta erat, in cuius nemoris medio fons, aqua  
solis dictus, sub lucis ortum tepidus manabat, medio  
die, cum vehementissimus erat calor, frigidus fluebat,  
incli-

v. Gelehrte  
Menigk.

1719. 4.

inclinato in vesperam calefcebat, media nocte feruida  
exæstuabat: ita etiam, dum densa pluuia fundebatur  
in Noachi nauem & fontes perennes fundebant largiffi-  
mas aquas, sub vmbriis alarum solis iustitiæ secure cum  
suis latebat in istis cimmeriis tenebris Noachus, de piera-  
te nihil remittens. Sol oriens vmbas noctis repellere  
tentabat, cum Sodomæ tuguria, æternis tradenda tenebris  
relinqueret Lothus generos tepidiores relinquens, atq; in  
tenebris speluncæ propter Zoar se conferens. Medium  
diem per prata errantes oues pascebant fratres Josephi  
meditantes aduenientis necem, quoniam in ipsis noctis  
tenebris viderat fratres ad pedes suos in imagine pro-  
uolutos. Sol pergebat ad occasum, dum Abrahamus  
victimas postulatas immolabat & altiori postea somno  
corpore oppresso in icone tenebrarum fata posteriorum  
præuidebat. Media nocte exæstuans pietate Jacobus recu-  
babat sub tegmine cæli in lapide duro, quem remotis te-  
nebris religiose vngebat. Profecto me prius charta, quam  
exempla deficerent, religiosæ quibus in deliciis fuerunt  
tenebræ speciem quasi aquæ solis præ se ferentes. Et  
sunt hodie adhuc Judæis, teste LVNDIO, sacra noctu ob-  
eunda, quæ tenebras religiosas adpellare omnino pos-  
sumus. Quod vero Judæi in colendo DEO fecerunt,  
fecerunt in Diis colendis pagani. Indorum pellices, A-  
lexandri M. tempore, regem mero somnoque sopitum  
in cubiculum retulisse patrioque carmine noctium  
DEOS inuocasse CVRTIVS memoriæ manda-  
tum reliquit. Augures Romæ post mediam noctem,  
quam silentium nominabant, in monte Palatino trabea  
induti, lituo cæli templum, vt loquebantur, diuidebant,  
vt ita seruarent de cælo sacra teste in antiquitatibus Ro-  
manis versatissimo HOEPFNERO, Gnostici, si vlli, pes-

in Jüd. Hei-  
ligthum.

VIII. 9.

in Rom. An-  
tiq. pag. 50.  
seq.

ssimi

fimi sane hæreticorum prioribus illis post Christum natum sæculis, ad epulas solemnè die coibant. Tunc post multas epulas, vbi conuiuium caleſcebat, & inceſtæ libidinis feruor ebrietate exarſerat, canis, candelabro nexus, iactu offulæ vltra ſpatium lineæ, qua victus erat, ad impetum & ſaltum prouocabatur, ut ſic euerſo & exſtincto concilio lumine impudentibus tenebris nexus infandæ cupiditatis inuoluerent per incertum ſortis. Equidem Cæcilius apud MINVICIUM hanc conuiciorum amariffimam labem in omnes Chriſtianos coniicit, cuius ramen mendacii turpitudinem cum OCTAUIUS, tum TER-

in Apol. c. 7. ſeq. in Muſo Ital.

TVLLIANVS explodit. Sicco, quod aiunt, pede tranſeo alia tenebrarum tenebroſa ſacra: eorum vero, quæ famoſæ Guilielmæ Boëmæ Sæculo 13. propè Mediolanum arrifere, vt faciam e MABILLONIO mentionem, & hiftoriæ raritas & dæmonis in iſta re conſpicua nequitia ſuadet. Cum enim peſtis illa rem eo deduxiſſet, vt ſpecie ſanctitatis omnes Mediolanenſes caperet & inſtar oraculi Delphici conſuleretur, plebi perſuaſit, preces noctu fuſas Deo acceptiſſimas eſſe. Abdidit itaque ſe noctu extra muros in ſpeluncam cum ſuæ ſectæ hominibus, vbi eadem fere, quæ Gnoſtici olim commiſerant, commiſerunt turpiſſima dictu, donec ob ſcelera enunciata vna cum ſceleris conſciis iuſtam dederint pœnam. Vri vero huiusmodi tenebras religioſas iuſto proſequuntur odio omnes ſanioreſ; ita nec PLINIVS, e paganorum numero homo, primis Chriſtianiſ in malum vertit, quod ſingulis diebus dominicis ante diem in iſtis adhuc tenebris conuenerint, DEUM & Chriſtum cantibus ſuis laudauerint, in auxilium vocauerint e ſ. p. Imo quis eſt, qui Zittanorum tenebras religioſas, nunc a me exponendas, non probet? Res autem omnis ita ſe habet.

M. Mi-



*M. Michael Klingbeil & Baccalaureus Iohannes Rosing, Capellani*  
(sit venia verbis in hoc & sequentibus, quia in Diplomate  
& cantibus nihil mutandum esse duxi) *Diœceseos Zittau. pe-*  
*tierunt An. 1476. ex Ioh. de Colovvrat & Zbiroh, præposito Pragensi*  
*& Iohanne de Crumlovv, Decretorum Doctore & Decano eiusdem ec-*  
*clesie, Administratoribus in Spiritualibus Archiepiscopatus Pragensis*  
*a venerabili Capitulo Pragensi deputatis, vt singulis feriis sextis Res-*  
*ponsorium: Tenebræ factæ sunt, a scholaribus cantari liceat, quia*  
*M. Iohannes Brasator, sacerdos Zittauiensis pro huiusmodi operis*  
*complezione faciliori 3. m. Zitt. & 4. grossos, aut quatuordecim gros-*  
*fos solidos perpetuicensus comparandos - - reliquisset in testamento,*  
*duas etiam candelas ante imaginem crucifixi ardentem sub decanta-*  
*tione: Tenebræ &c. disposuisset. Quæ omnia dictus Colovvrat cum Con-*  
*sensu venerabilis fratris Andreae, ordinis militiæ S. Ioh. Hierosolymi-*  
*tani per Bohemiam, Silesiam, Morauiam locum tenentis, Commenda-*  
*toris domus Zittau, & tum Plebani ibidem & Magistri Ciuium &*  
*totius Senatus Zittau, Ciuitatis A. 1476. d. 1. Aug. in Crumlovv con-*  
*firmavit; firmavit autem autoritate sua fer. V. ante Dom. Letare*  
*A. 1479. Consul & Senatus Zittau. Quamuis etiam Sæculo*  
*decimo sexto multa, superstitionis aliquid præ se ferentia,*  
*post reformationem B. Lutheri & hic loci fuerint muta-*  
*ta, Tenebras tamen dictas seruari voluit Senatus Amplif-*  
*simus. Hinc ordo Responsorii, quod hic tenebras no-*  
*minamus, & scholares singulis diebus Veneris post per-*  
*acta sacra hora nona canunt, hic est:*

**Chorus:** *Tenebræ factæ sunt, dum crucifixissent Iesum Iudæi, & circa*  
*horam nonam exclamavit Iesus voce magna: DEus meus,*  
*vt quid me dereliquisti, & inclinato capite emisit spiritum.*

**Preces pueri:** *Domine Iesu Christe, Fili DEI viui, qui hora ma-*  
*tutinali pro salute humana nasci, tradi, ligari, conspui volui-*  
*sti, fac nos, quæsumus, contumelias & opprobria pro nomi-*  
*nis tui gloria lætanter & patienter suscipere, & sic huiusmo-*  
*di tuæ sacratissimæ passionis memoriam continuo recordari,*

B

ve

ut ad resurrectionis tuæ gloriam & consortium possimus feliciter peruenire. Amen!

**Chorus:** Tunc vnus ex militibus lancea latus eius perforauit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Et velum templi scissum est a summo vsque deorsum, & omnis terra tremuit.

**Pastor:** Proprio filio non pepercit DEus.

**Chorus:** Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

**Pastor:** Oremus! Respice, quæsumus, Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus, filius tuus dilectus, non dubitauit manibus tradi nocentum, & crucis subire tormentum, qui uiuit & regnat DEus per omnia sæcula sæculorum!

**Chorus:** Amen.

Nec hæ solæ religiōsæ sunt tenebræ Zittanorum. Et enim hebdomadis magnæ ante festum Paschatos die Mercurii sq. hora quarta pulsucampanæ moniti ciues imprimis Litterati in ædem sacram se conferunt, tenebrosis uesperis pie delectandi. Hæ tenebræ, inquit CAROLVS DV FRESNE, officium sunt Ecclesiasticum, ita adpellatum, quod peragitur feria 4. 5. & 6. maioris hebdomadis: His enim diebus Ecclesia tenebras colit, & matutinas in tenebras finit, inquit Durandus L. 6. Ration. cap. 72. n. 2. Primo quia in luctu & mœrore est propter domini passionem: & propter eius triduanam mortem exequias celebrat triduanas. Secundo officium tenebrarum significat tenebras, quæ fuerunt super faciem terræ, dum pendeat sol iustitiæ in cruce &c. Adde Beletum c. 100. Lib. ordinis S. Victoris Parisiensis MS. cap. 20. Ad tenebras in Parasceue per tres dies 13. cerei accenduntur. Hugo Flaviniac. p. 170. Vbi vero ventum est ad tenebras, miser ille, dum Kyrie Eleison cum uersibus cantaretur, corde compunctus genibus patris aduolutus est. Tantum eC, du Fresne. Series cantionum hæc est:  
Cho-

InGlossario  
ad Scripto-  
res Med. &  
infimæLati-  
nitatisTom.  
3. P. 1090.

Chorus:

Antiphon. 1. *Zelus domus tua comedit me & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

Pfalm. 69. invulgata LXVIII. *Saluum me fac DEus &c.*

Antiphon. 2. *Auertantur retrorsum & erubescant, qui cogitabant mihi mala.*

Pfalm. 70. in vulg. LXIX. *DEus in adiutorium meum &c.*

Antiphon. 3. *DEus meus eripe me de manu peccatoris.*

Pfalm. 71. in vulg. LXX. *In te Domine speravi &c.*

Pueri: *Homo pacis meae, in quo speravi.*

Chorus: *Ampliauit aduersum me supplantationem.*

Lamentatio 1. *Jeremiae a scholari cani solita e Cap. 1.*

*Thren. ed. vulg. vers. Et factum est, postquam -- inuenit requiem (v. 1. 2. 3.) Ierusalem conuertere, Ierusalem ad dominum tuum.*

Chori responsorium 1: *In monte Oliueti oravi ad Patrem: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Fiat voluntas tua: Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis Pater.*

Lamentatio 2. e cap. 4. v. 9. 10. 18. *Melius fuisset occidi gladio -- finis noster. Ierusalem conuertere, Ierusalem ad dominum DEum tuum.*

Chori responsorium 2: *Tristis est anima mea vsque ad mortem, sustinete hic & vigilate mecum. Nunc videbitis turbam, qua circumdabit me, vos fugam capietis & ego vadam immolari pro vobis. Vigilate & orate, dicit Dominus.*

Lamentatio 3. e cap. 2. v. 18. 20. 19. *Clamauit cor eorum -- omnium compitorum. Zade. Ierusalem conuertere, dicit Dominus anime peccatrici, conuertere Sunamithis Ierusalem ad Dominum DEum tuum! He.*

Chori responsorium 3: *Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem, aspectus eius in eo non est. Hic peccata nostra portauit, & pro nobis dolens, ipse autem vulneratus*

est propter iniquitates nostras. Cuius liuore sanati sumus. Vere languores nostros ipse abstulit & dolores nostros ipse portauit.  
Antiphon. 4. Traditor autem dedit eis signum, dicens: quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum.

Luc. I. 68 -- 79. Benedictus DEus Israel &c.

Puer 1. Kyrie Eleison!

vers. 1. Iesu Christe, qui passurus aduenisti propter nos.

vers. 2. Alpha & O, tu finis & origo, tu Leo, vermis & homo natus e virgine verbo.

Chorus: Domine miserere! Christus dominus factus est obediens vsque ad mortem.

Puer 1. Kyrie Eleison! 2. Christe Eleison!

v. 3. Qui expansis in cruce manibus traxisti omnia ad te secula.

4. Stella matutina, ergo victima sacra, tu regni norma, Israël anguis pendulus.

Puer 1. Kyrie Eleison! 2. Christe eleison! 3. Kyrie eleison!

vers. 5. Qui prophetice promisisti: ero mors tua o mors.

6. Vna in ligno moritur, infernus ex morsu despoliatur.

7. Sol lucifer mundi patris nuncius summi, tu cardo Paradisi præclusi morsus inferni.

Chorus repetit: Domine miserere! vt supra.

Pastor: Caro mea vere est cibus.

Chorus: Et sanguis meus vere est potus.

Chorus: Rex Christe factor omnium, redemptor & credentium vsque ad finem.

Antiphon. 5. Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.

Psal. LI. Miserere mei DEus &c.

Die viridum siue Iouis dictæ hebdomadis hora quarta audita iterum conueniunt ciues & sacra tunc fiunt tenebrosa hunc in modum:

Chor. Antiph. 1. Absiterunt reges terra, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius.

Psal. 2. Quare fremuerunt &c.

An-

**Antiphon. 2.** *Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.*

**Pfalm. 22.** in vulgata **XXI.** *Deus meus respice me &c.*

**Antiphon. 3.** *Insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.*

**Pfalm. 27.** in vulg. **XXVI.** *Dominus illuminatio mea &c.*

**Pueri:** *Diuiserunt sibi vestimenta mea.*

**Chorus:** *Et super vestem meam miserunt sortem.*

**Lamentatio 1.** e Thren. Ierem. c. 1. v. 17. 19. 18. *Expandit Sion manus -- abierunt in captiuitatem. Ierusalem conuertere ad Dominum DEum tuum.*

**Chori responsorium 1:** *Omnes amici mei dereliquerunt me, & preualuerunt insidiantes mihi, tradidit me, quem diligebam, & terribilibus oculis plaga crudeli percutiens. Aceto potabant me, & dederunt in escam meam fel & in siti mea.*

**Lamentatio 2.** e. c. 3. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Ego vir videns -- meas vertit. Ierusalem &c.*

**Chori responsor. 2:** *Vinea mea electa, ego te plantaui, quomodo conuersa es in amaritudinem, vt me crucifigeres & Barrabam dimitteres; ego quidem plantaui te vineam meam electam, omne semen verum.*

**Lamentatio 3.** e prophetia Ierem. c. XVIII. 18. 19. 20. *Dixerunt impii Iudæi ad inuicem: venite, cogitemus -- indignationem tuam ab eis. Ierusalem conuertere &c.*

**Chori responsor. 3:** *Tanquam ad latronem exiuiſti cum gladiis comprehendere me, quotidie apud vos eram in templo docens, & non tenuiſti, & ecce flagellatum ducitis ad crucifigendum. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo, vñ autem illi, per quem tradetur.*

**Antiphon. 4.** *Posuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum.*

**Luc. 1.** 68 -- 79. *Benedictus &c.*

Cetera supra sunt dicta, solita cani vt die Mercurii.

**Feria tandem sexta,** quæ ob passionis Christi memoriam

solemnis est, horam post quartam auditam ordo in canendo hic obseruatur:

**Chor:** Antiphon. 1. *In pace in id ipsum dormiam & requiescam.*

*Psalm. 4. Cum inuocarem, exaudiuit &c.*

**Antiphon. 2.** *Habitabit in tabernaculo tuo, requiescat in monte sancto suo.*

*Psalm. 15. in vulg. XIV. Domine, quis habitabit &c.*

**Antiphon. 3.** *Caro mea requiescet in spe.*

*Psalm. 16. in vulg. XV. Conserua me Domine.*

**Pueri:** *In pace in id ipsum.*

**Chorus;** *Dormiam & requiescam.*

**Lamentatio 1. e Thren. c. 5. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 15. 17.** *Oratio Ieremia -- oculi nostri. Miserere Domine populi tui, & parce hereditati tue. Ierusalem conuertere &c.*

**Chori responsorium 1:** *Sepulto Domino signatum est monumentum, volentes lapidem ad ostium monumenti, ponentes milites, qui custodirent illud, ne forte veniant discipuli eius & furentur, & dicant plebi: surrexit a mortuis.*

**Lamentatio 2.** *Verè, verè hodierna dies omni cum passione prosequenda, & merito cunctis Christi fidelibus recolenda. Hæc est dies asperrima & multum flebilis, & præ ceteris delectabilis. Hæc, hæc, hæc est dies, in qua Christus patitur pacis osculo traditionem, & pro nobis non renuit subire passionem. Hæc est dies, in qua Christum gens perfida crucifixit, & falsis testimoniiis contradixit. Hæc, hæc est dies, in qua Iudei Christum flagellis & colaphis ceciderunt, & in faciem eius delectabilem conspuerunt. Hæc est dies, in qua Christum blasphemantes deriserunt, & confestim morti tradiderunt. Hæc, hæc est dies, in qua solis & lune splendor obscuratur, & omnis creatura Christo compatiendo lamentatur. Hæc est dies nostræ redemptionis, in qua redempti sumus de captiuitate Pharaonis. Ergo Ierusalem luge & plange planctu magno Paschali, condolens mortuo pro nobis agno. Ierusalem cito pro-*  
*pera*

perâ pœnitentiã agendo & ad Dominum Deum tuum conuertendo.

Responsorium 2: Ierusalem luge & exue te vestibus iucunditatis!  
Induere cinere & cilicio! Quia in te est occisus Saluator mundi.  
Vlulate pastores & clamate, aspergite vos cinere, quia &c.

Antiphon. 4. Mulieres sedentes ad monumentum lamentabantur  
flentes Dominum.

Luc. 1. 68 -- 79. Benedictus &c.

Reliqua harum etiam tenebrarum religiosarum non differunt a priorum dierum sacris. Et hæc est pietas Zittauiensium in tenebris religiosis, quam eo minus quis improbare potest, quo verius est & cum Sacra Scriptura conueniens AVGVSTANAE CONFSSIONIS effatum; ritus circa res in sacris litteris non definitas seruari posse, nec audacter solui debere. Quamuis enim aliquid a maximorum hæreticorum instituto fuerit ad veræ religionis cultores deriuatum; tamen, si nihil inde mali, imo non raro aliquid & multum boni ad fidem & vitam Christianam redundat, retineri illud omnino potest, iudice FABRICIO. Et has tenebras cum eruditatum religiosas in maximis semper deliciis habuistis AMICI.

Non enim Zittauia, Gregori dilecte, tempus commensationibus & aliis iuuenum vitiis perdidisti; sed tam domi vsq; in multam noctem litteris dedisti operam (vti tibi publicus est testis in philotheca tua honoratissimus meus Dn. socer S. T. Dn. J. H. de Lanckisch, hæreditarius in Neuhœrnitz, J. V. Licent. Scabinus Zitt. & Cancellarius Baron. Seidenbergensis, ita vt etiam te multis nominibus commendandum duxerit Patronis, Patriæ bonisque omnibus,) quam amasti auroram Musis amicam, in Collegiis priuatis & publica classe sedulo cultam. Imo vt Chori Musici membrum tenebris Zittanorum religionis non modo ita interfuisti, vt more multorum iustus tan-

In Bibliotheca Antiquaria p. 110.


QX  
Ye  
3263

tantum caneres, sed efferret etiam inter canendum anima tua Dominum. Quid ergo aliud de te, dum fere in portu causa tua nauigat, quam optatum sperare debeo?

Idem de te jubeor sperare carissime Maniti. Dedit tibi DEUS non mediocres ingenii vires & uti hactenus spes meas tua opera & modestia non destituit, ita etiam plaudo post peractam a te in hac scena fabulam reddoque te cum Maxime Reuerendo Domino Johanni Georgio Wernero, Pastori Primario Wilsdruffensi meritissimo, auoq; desideratissimo, tum Plurimum Reuerendo Domino M. Josepho Gottlob Manitio, Pastori Burchardswaldensi vigilantissimo, patri de te immortaliter merito, atque sic reddo, ut libere fatear, me non poenitere te habuisse domesticum Plura, AMICI, vestri causa non scribo, quamuis, si multus essem in vobis laudandis, non timendum foret, ne a sanioribus hominibus pro misericordiam mendacio, quo vestrae penitus nolui consulere salutem, verba haberentur mea. Abite felicibus auiibus, si Christianum ita loqui fas est, abite a Praenobilissimo Dn. Directore bona cum pace dimissi, abite e tenebris scholasticis in lucem Academicam! DEUS, autor lucis, in manu sua recurrentes vices luminis & tenebrarum gerens, custodiat vos ab operibus tenebrarum nefandis, confirmet vos in amore eruditarum & religiosarum tenebrarum & tempore suo unumquemque vestrum e tenebris expectationis in lucem promotionis deducat! Valere, nec tenebris obliuionis inuoluente Praeceptorum Zittauiensium curas, nec vos ipsos tenebris mundi! Valet!

Corrigenda sunt errata p. 4. lin. II. sepultum leg. sepultura. p. 5. l. 5. tenebrae leg. tenebrae, l. 22. mandauerint leg. mandauerint. p. 6. l. 1. Fabicii leg. Fabricij, l. 7. perducta leg. perducta, l. 17. barbarici leg. barbarici, l. 23. Papianos leg. Papinianos, l. 24. Philosophos leg. Philosophos, l. 25. moratiores leg. moratiores, Priscano leg. Prisciano l. 29. candente leg. cadente. p. 7. l. 1. feruida leg. feruidus, p. 8. l. 5. victus leg. victus, l. 23. turpissa leg. turpissima, l. 24. iustum leg. iustam, ib. in marg. Muso leg. Musaeo.





Farbkarte #13

B.I.G.

*G. H. 150, 21.*

OPTIMIS JUVENIBUS  
**JOHANNI FRIEDERIC  
GREGORIO**  
CAMENTIO LUSATO

Ye  
5263

X 2256195

Et  
**WERNERO SIEGFRIE-  
DO MANITIO**

BVRCHARDISILUA MISNICO

MENSE MARTIO

clb lccc xx. AER. VVLG.

E

SCHOLASTICIS GYMNASII ZITTAVIEN-  
SIS TENEBRIS

IN

LVCEM ACADEMICAM

SE CONFERENTIBUS

DISSERENS

DE ERVDITIS ET SIGILLATIM ZITTANORVM  
RELIGIOSIS TENEBRIS

BONA VERBA DICIT

M. CHRISTIANVS GOTTLOB PITSHMANNVS.

GYMN. ZITT. SVBRECT.

ZITTÆ, CHARACTERE MICHAELIS HARTMANNI.

